



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Duellum non ptest licitè vel iustè indici.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

esse doctus, non facile credit quis illi suam causam: medicum autem quum infirmus audit, propter ingen- tem sanitatis spem, & miseriam infirmitatis statim rogat. Et rursus in causis ciuilibus potest adhibere remedium si aduocatus errauit: sed in causa ægritu- dinis agitur de vita aut sanitate irreparabili. Graue tamen peccatum incurritur in Iuris doctoratu hu- iusmodi. Et quamuis mortale non desiniam, non ta- men omnino excuso à mortali: quia quantum in se est, periculo exponit clientulos.

*Doli exequutio proximo nociua, vitio-  
sa est & damnabilis.*

**D**olus (hoc est astutiæ exequutio, siue per verba, siue per facta ad decipiendum ordinata) pecca- tum, est veræ prudentiæ contrarium. Et iuxta subie- ctam materiam potest esse mortale vel veniale, sicut deceptio ad quam astucia machinatur. Si enim in- tenditur deceptio perniciofa, est peccatum mortale: si verò officiosa aut iocosa, est peccatum veniale.

*Duellum non potest licitè vel iustè indici.*

**D**vellum (hoc est singulare bellum ex condic- to) indicere, peccatum mortale est: quia eligitur per- cussio proximi, & expositio propriæ & aliene vitæ pe- riculo mortis, absque sufficiente talis belli causa.

Suscipere autem, seu acceptare duellum, vel pro manifestatione veritatis, peccatum mortale est: quia contra rationem rectam eligitur percussio proximi, periculum vitæ, & diuini sit usurpatio iudicii cum ten- tatione Dei, & inducitur in testimonium quod non est testimonium, & diabolica adinuentio impletur. Vel ad ostentationem virium peccatū quoque mor- tale est: quia contra rectam rationem eligitur percussio proximi cum periculo vitæ, vt patet. Et per eandem ra- tionem peccant mortaliter bellantes decem hinc &

decem inde: vt quodcunque spectaculi gratia tempore belli fit. Non enim excusantur propter tempus belli, quasi sit partialis conflictus cum hostibus: quia quia non habet locum finis belli in huiusmodi partiali certamine. Non enim ordinatur conflictus iste ad debellandum, vel minuendum hostis virtutem, sed ad hostentationem hominum. Vel ad euitationem ignominiae (quasi vilis & degeneris animi reputetur, nisi acceptet duellum) peccatum quoque mortale est eadem ratione: quia contra rectam rationem non vulgarium sed sapientum eligitur percussio, periculum &c. vel ad terminandam litem civilem vel criminalem, peccatum quoque mortale est: quia non est proportionatum medium ad terminandum litem armata pugna percussiva &c. Licitum tamen est suscipere duellum auctoritate principis, quando accusator materiali gladio iudicis iniuste me petit multando vel occidendo: quoniam inuasus gladio possum me gladio tueri. Et similiter licitum est resolvere bellum iniustum in duellum, quando pars habens iustum videt se aliter succumbere: vtitur enim viribus suis vt melius potest. Et si haec sic breuiter dicta non penetras, vide diffuse à nobis scripta in commentariis secunda secunda diui Thomae in fine xcv. quaestio. Vnde principes concedentes duellum (vt communiter accidere videtur) patet peccare mortaliter. Secus autem esset, si ex rationabili causa permitterent, sicut permittunt meretrices, quoniam non peccarent.

*Ebrietas quando sit peccatum mortale.*

**E**Brietas praecognita & volita propter delectationem in potu vini immoderato, peccatum mortale videtur: quia contra rectam rationem violentè imponit quis sibi ipsi necessitatem vinculi tollentis usum rationis, Ebrius enim non solum est absque actuali